

PRAEFATIO.

non prompte ex his profluat fontibus: et simul tamen in plerisque maximos praestantissimosque auctores, mecum consentientes habeo. Potuissem sane, si auctoritate potius quam rationum momentis uti libuisset, tum veterum, tum recentiorum effatis, abunde ea, quae asserui, comprobare. Sed ab instituti mei ratione hoc plane alienum fuit. Interim ea quoque, in quibus maxime ab aliorum placitis recedere videor, ita comparata sunt, ut mihi valde pronum sit, antiquissimorum philosophorum consensu ea firmare. Quae in Ethica de summa hominis felicitate docui, eam in amore Numinis positam esse, non tantum cum Pythagorae et Platonis, sed aliorum etiam sententia conueniunt, ut doctissimis viris nostra aetate est comprobatum. Atque hoc caput est totius doctrinae moralis. Nec quae de morbis mentis, praecipue voluntatis, attuli, secus se habent. Certe nihil frequentius, quam amorem sui prauum, ut fontem scaturiginemque omnium malorum accusare. Huius autem tres praecipue riuos esse, ambitionem, auaritiam, et voluptatis cupiditatem, iam ex veteribus obseruauit Hugo Grotius. Ast quod in iurisprudencia naturali praecipuum est, ipsum, ut vocant iuris naturalis principium, ita investigauit, ut veterum simul mentem ab aliorum vindicauerim corruptelis. Certe qui hominem ad societatem natum dixerunt, iis nihil aliud constitutum fuit, quam officiorum,

NON

rum,